

smis compositis pag. 146. Eustachius à S. Paulo in Summa
Philos. in parte tertia Logicae Tractat. III. Disput. poster. Quaest.
I. & II. & plures alii.

XII. Sed nec ab illa opinione per omnia alieni fu-
erunt, qui aliàs sententiam Aristotelis in reliquis sunt asse-
cuti, & recte interpretati. Et quidem Felix Accorombonus
etiamsi reliquis mentem Aristotelis sic satis rectè exhibeat,
in Annot. tamen ad Aristot. Organon. p. II. ubi definitionem
Syllogismi expendit, postquàm inter alia monuisset, Aristotelem
quàm maximè respexisse *Syllogismum perfectum*, nec non *distingui*
syllogismum categoricum sive simplicem ab hypothetico sive conjuncto;
addit: *Hypothetici namq; nihil concludunt, nisi prius sumant ab ad-*
versariis concessum quippiam. Categorici verò non sumunt ab adver-
sario, sed simpliciter ponunt. -- Præterea non est tentandum reducere
ad tres figuras syllogisticas hypotheticos: non enim in his ex positis
licet deducere, non enim ostensi sunt ex Syllogismo, sed omnes confi-
tentur ex conventionem: nisi enim cum adversario conveniat esse
verum, quod illi proponunt in hypothetico Syllogismo, nunquam dedu-
cent conclusionem. Ex quibus manifestum est, hypotheticos Syl-
logismos non syllogizare, cum non deducant conclusionem ex positis,
sed ex concessione adversarii, ac proinde Aristoteles solum hinc definit
Syllogismos categoricos, non hypotheticos: Loquitur enim de Syllogi-
smis ex positis concludentibus, non autem ex concessis ab adversario:
Cum itaq; Syllogismi hypothetici non sint veri Syllogismi, ut qui
non concludant ex positis, sed tantum ex concessis ab adversario,
neque reduci possint ad tres figuras; adeoque Aristoteles ipse de
Syllogismis veris, qui omnes continentur sub tribus figuris syllogisticis,
deque Syllogismo universalis, tam Dialecticum quam Demonstrati-
vum complectente, agere intendat, & syllogismi hypothetici duntaxat
Dialectico, (qui interrogat,) deserviant, quid aliud superest, nisi ut
concludamus, Aristotelem de hypotheticis Syllogismis hisce in libris
(Analyticorum) nequaquam agere. Hæc ille.

XIII.